



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

§. III. De facultate per Bullam Cruciatæ, vel iubilæum ad absoluendum ab
hæresi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

permittere eis sacramenta dari ante mortem : negantibus autem hæresim non permittit vllō modo dari sacramenta , ergo ideo quia præsumptio impenitentia habet certum fundamētum, nempe indispositionem præsentem, quæ ex negatione criminis apertè constat. Certum ergo ab Ecclesia æstimatur non posse esse ad sacramenta dispositū eum, qui hæresim suam non confitetur.

Ratio autem à priori duplex esse potest. Prima quam affert Sanchez *dicto num. 11.* ratione scandalī, quia deberet hæresim faceri, & absolutionem petere ad tollendum scandalum : dum enim aliunde conuictus eam negat, censetur in ea perseverare, & eam corde retinere. Nam licet quando de crimine aliunde non convincebatur, possent alij credere eum id negare ad euadendam infamiam, & penam : quando tamen neutrius, effugiendæ spes vlla apparet, sed declaratus est iam hæreticus, & infamis, & statim est comburendus, ita vt negatio criminis ad nihil deferuiat, nisi ad illud aggrauandum, quatenus impenitens etiam iudicatur, deberet omnino scandalum illud publica confessione deleare, atque ita Ecclesiæ satisfacere. Nam sicut præceptum confessionis fidei obligat nos abstinere ab actibus positivis, qui contraria doctrinæ professionem significare possent, ita etiam & ab actibus negatiuis, qui possunt idem significare : cum ergo silentium illud in iis circumstantiis, & omisso confessionis ita vehementer significent pertinaciam in hæresi, vt ea de causa merito reus ultimo supplicio afficiatur, fides ipsa videtur obligare ad non vtendum silentio adeo pernicioso, quod vehementer indicat animum in hæresi obstinatum.

Secunda ratio desumi potest ex iis, quæ cum communi sententia dixi *disp. 18. de Pœnit. sect. 2. numero 24. & sequentibus*, non posse in articulo mortis absolui moribundum à peccatis reuerſatis ab alio sacerdote non habente facultatem ad referuatam, si adit vel adiri possit Prælati, vel alius habens eam auctoritatem ; quia facultas confitendi cuilibet in articulo mortis intelligitur in defectum proprii sacerdotis habentis auctoritatem ordinariam, vel delegatam. Cum ergo in casu nostro adsint inquisitores, qui possunt iure suo hæreticum absolvere à censura, & qui absolutionem ei offerunt, non potest alius sacerdos prætextu mortis instantis eum absolvere. Vnde colligi potest tertia ratio, quia in omni sententia certum est, eum qui in articulo mortis absoluitur ab excommunicatione Papæ referuatam per sacerdotem non habentem aliunde auctoritatem ad eum casum, absolui quidem cum obligatione recurrendi quam primum possit ad Pontificem, vel ad habentem ab eo auctoritatem, alioquin reincident in eandem censuram, vt constat ex cap. *Eos qui*, de sentent. excomm. in 6. Cum ergo in casu nostro adsint inquisitores habentes auctoritatem ad absolutionem hæresis, & parati ad eam conferendam, frustra absolueretur pœnitens ab alio sacerdote, cum deberet saltem reincidente statim in eandem censuram, nisi hec sisteret inquisitoribus auctoritatem Pontificis habentibus, vt suo debito satisfaceret, nec sine illo onere, & proposito comparendi potuit ab alio sacerdote priuato absolui.

Dices non teneri pœnitentem adire superiorem pro absolutione à referuatis, nisi in foro facti. *Card. de Lugo de virtute fidei diuine.*

cramentali : hoc autem modo non potest reus in casu nostro inquisitores adire, tum quia ipsi in foro solo conscientia non possunt absolvere, vt supra diximus, tum quia nec ipsi volent eum aliter audire, vel reconciliare, quam in foro iudiciali, in quo foro non obligatur pœnitens adire superiorem, quam primum potuerit : nec ex dicto *c. eos qui*, ad hunc comparandi modum obligatur. Sed contra hoc est, quod obligatio comparandi postea coram superiore imposita in illo textu, non arctat superiorem, vt intra sacramentum eum audiat. Nam excommunicatus ab homine v. g. per sententiam specialem, non habet ius, vt superior intra sacramentum eum absoluat, sed potest iudex, cui reseruata est illa censura dicere, se nolle pro solo foro conscientia absolvere, sed pro foro etiam externo, & pœnitens habet obligationem petendi ab eo absolutionem eo modo, quo ille vult absolvere, saltem si sine graui incommodo potest, in nostro autem casu nullum graue incommodum sentit hæreticus iam damnatus, & diffamatus, & statim comburendus ex eo quod cogatur recurrere pro absolutione, ad inquisitores in foro iudiciali, cum nihil damni ex hoc patiatur, imò lucratur non solum absolutionem, sed ablationem scandalī, quod aliunde ex seipso tollere tenebatur, vt diximus ; dum ergo recusat se inquisitoribus manifestare, non est dispositus vt ab alio sacerdote possit absolui.

§. III.

De facultate per Bullam Cruciatæ, vel inuoluntariam ad absolueudum ab hæresi.

Controuersia hæc iam magna ex parte cessauit : nam in Bulla Cruciatæ semper, & in Iubilæis ferè semper exprimitur exceptio hæresis. Dubium ergo solum est de Bulla Cruciatæ antiqua, in qua non excipiebatur expresse, & de Iubilæo, vel alia simili concessione, in qua ea exceptio non ponatur.

Prima sententia docet, concessa facultate absolueudi ab omnibus casibus etiam contentis in Bulla cænæ, intelligi inclusam hæresim, nisi excipiat ; ita Sorus, & Corduba apud Sanchez *dicto lib. 2. in Decal. c. 12. num. 10.* Reginaldus, Lorca, Farinacius, & alij apud Suarez in *presenti disp. 21. sect. 4. numer. 21.* qui id probabile dixerat *disp. 7. de Censuris sect. 5. num. 12.* Idem tenent Penna, Frechilla, & alij apud Castro Palaum *dicto tom. 1. tract. 4. disp. 4. puncto 3. §. 4. n. 1.* Fagund. etiam, Molles. Alphonfus de Leone, Peirinus, & alij apud Dianam 1. part. tract. de absolut. ab hæresi resoluit. 1. fundamentum est, quia vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus ; qui autem omnes casus concedit, nullum excipit, quod si aliquem voluisset excipere, illum nominasset.

Communis tamen sententia negat etiam virtutem Bullæ Cruciatæ antiquioris absolui potuisse ab hæresi ; idemque dicit de facultate Iubilæi, aut alterius privilegij concedentis absolutionem à casibus Bullæ cænæ, nisi hæresim etiam exprimat. Hanc tenent Manuel, Couartu. Simancas, Roias, Gutierrez, Henriquez, Azor, Auila, Zauillos, & alij quos affert, & sequitur Sanchez vbi supra dicens hoc esse certissimum. Idem docent Nauarrus, Viualdus, Vasquez, Miranda,

randa, & Garzia, quos affert, & sequitur Suarez in presenti disp. 21. sect. 4. num. 21. recedens ab eo, quod dixerat in tom. de censuris; Idem tenent Vgolinus, & Aragonius, quos refert, & sequitur Castro Palao dicto §. 4. num. 2. Accedunt Syluius, Floronius, Ragucius, Novarius, Victorellus, Portel, Homobonus, Torreblanca, Ricciullus, quos affert, & sequitur Diana dicta resolut. 1. Ratio est quia in concessione generali non veniunt intelligenda ea, quæ Princeps non concessurus esset, si specialiter proponerentur: talis autem est absolutio hæresis: quæ Pontificis mens constat in primis ex stilo Curie Romanæ quam testantur Azor, & alij apud Castro Palaum, vbi supra, constat etiam ex declaratione ipsorum Pontificum, qui ira mentem suam, & successorum declarauerunt. Nam Pium. V. ita declarasse refert Roias de privileg. inquisit. n. 416. & morum proprium Gregorij XIII. id expresse declarantis refert ad verbum Manuel Roder. in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 9. num. 66.

102

Totum hoc penderet ex intentione concedentis, quæ est coniecturis arbitrio prudentis indaganda est; Qualis fuerit hæc intentio olim in iis concessionibus generalibus, non est omnino certum, & vtraque sententia fuit tunc fortasse probabilis; & parum refert nunc id scire, sed solum qualis nunc sit. Hoc itaque tempore facilius noscitur Pontificis mens: Nam in Bullis Cruciatæ ad tollendum omne dubium expresse excipitur hæresis absolutio, quod etiam communiter fit in Iubilæis. Si quando verò in Iubilæo aliquo ex causa grauissima concessio non excipitur, apponuntur clausulæ derogatoriæ adeo speciales, & efficaces, vt aperte constet Pontificem voluisse pro ea vice absolutionem ab hæresi concedere, quarum clausularum exemplar inuenies apud Hurtadum dicta disp. 84. §. 111. qui §. 110. affert Filliucium testantem ita fuisse responsum in sacra Pœnitentiaria anno 1617. occasione Iubilæi concessi à Paulo V. Et quidem dubium non est, quod non obstante reservatione facta, & faciendâ in Bulla cœne possit Pontifex facultatem eam concedere. Hæc autem voluntas in illis circumstantiis prudentissimè ex talibus verbis colligitur.

103

Quid faciendum, quando in Iubilæo generaliter conceditur casus Bullæ cœne, non addita exceptione hæresi.

Magis posset dubitari, quando in Iubilæo generaliter concederetur casus Bullæ cœne, non addita hæresis exceptione, nec etiam appositis clausulis derogatoriis specialibus: vel si fortè in Bulla Cruciatæ omitteretur exceptio hæresis. Et quidem in iis, & similibus casibus ad coniecturas etiam veniendum erit, quæ circa Bullam Cruciatæ esse possunt, si præcessisset instans petitio alicuius apud Pontificem, vt exceptio illa auferretur, vel si sciper ex mandato, aut scientia Pontificis ablata esse: præsumptio esse posset, quod vellet re etiam ipsa limitationem illam auferre. Si nihil verò tale præcessisset, præsumptio esset, quod per errorem scriptoris, vel secretarij, aut typographi omissa fuisset illa clausula. Quod idem cum proportionem dicendum esset in Iubilæo in quo tamen maior præsumptio esse posset de facultate concessa: quia cum ea concedatur pro hac solum vice, & cum formulæ illæ magno studio semper considerentur, & transferri soleant ex aliis Iubilæis præcedentibus: exceptio illa iam nunc denuo ablata contra stylum tot annorum magnum indicium esset voluntatis contrariæ pro

hac vice. Nec obstat, quod in concessione generali non debeat casus hic adeo specialis intelligi: nam id verum est, quando non sunt contrarie confecturæ, qualis non levis esset mutatio stili adeo pertinaciter retenti per tot annos, & hoc postquam illa clausula addita fuerat ad impediendam absolutionem dari solitam. Nam licet tempore Gregorij XIII. etiam non exceptio nominatim hæresi, non censeretur inclusa in illa generalitate. Non tamen silentium illud non esset adeo efficax ad id persuadendum, licet tunc, eo quod postea successores Pontifices noluerint silentio solo significare exceptionem illam, sed verbis expressis, qui vñ reddidit minus efficax silentium ad id significandum, & indicaret recessum positum ab illa exceptionis voluntate: quamvis nec hoc esset certum signum, sed res tota ex variis coniecturis ponderanda, & indicanda esset. Non credo tamen pro nunc fore periculum morale, quod ea exceptio expressa omittatur à secretario, nisi ex voluntate Pontificis concedere volentis pro aliqua vice speciali eam facultatem.

In aliis verò concessionibus magis particularibus quæ fierent alicui personæ, vel alicui religioni, vt possint absolui, vel absolueri à casibus Bullæ cœne, locum habet regula illa secundæ sententiæ, vt si non explicetur hæresis censetur excepta, nisi concurrerent aliunde tales circumstantiæ, vt præsumptio illa vinceretur. Et quidem non solet ea facultas iam concedi, nisi cum variis limitationibus, & requisitis: quare non facile præsumetur absque vlla limitatione, & instructione sub illa generalitate concessa. Quod à fortiori procedit, quando non nominatur Bulla cœne in ipsa concessione, sed solum conceditur facultas ad casus Papæ referuatos: sub hac enim generalitate non contineri casus Bullæ cœne dicunt doctores, quos affert, & sequuntur Sanchez vbi supra num. 13. & Castro Palao vbi supra num. 2.

Dubitari solet, an excepta hæresi censentur excepti alij casus, qui reddunt aliquem de hæresi suspectum, v.g. fautores, receptatores, defensores hæreticorum, legentes, imprimentes, & tenentes eorum libros. Affirmant plures, quos affert Sanchez vbi supra num. 11. & alios affert Diana dicto tractatu de absolut. ab hæresi resolut. 7. Communis tamen sententia docet excepta hæresi, non intelligi excepta alia peccata, quæ formalem hæresim non continent, licet reddant suspectum de hæresi, & ad Inquisitores pertineant ita Sanchez vbi supra num. 12. vbi loquitur etiam de schismaticis, de quibus num. præcedenti loquor fuisse. Eandem sententiam tenent Henriquez, Suarez, Duardus, Farinacius, Acosta, Filliucius, Alterius, & alij, quos affert, & sequitur Diana dicta resolut. 7. Aduerte tamen, in aliquibus ex iis casibus seruanda esse ante absolutionem aliqua, quæ ab Inquisitoribus, vel etiam ab ipso Pontifice præscribuntur, vt de scemina sollicitata, quæ non denunciantur, notat cum aliis Diana ibi, & de habentibus libros hæreticorum, vel ab Inquisitoribus prohibitos notat Sanchez ibi num. 11. Denique aduerte ex Filliucio 1. tom. tract. 8. num. 263. solere in iis Iubilæis concessa absolutione ab hæresi, excipi hæreticos denuntiarios, qui nec tunc possunt absolui.

§. IV.